

www.e-rara.ch

Chanoci Uranii Pomerani, De verbo Dei scripto, libri quatuor. Qui legitimam vendicationem praecipue continent disputationis theologica et scholastica, D. Antonii Sadeelis, De verbo Dei scripto ...

**Uranius, Chanocus [Himmel, Enoch]
Chandieu, Antoine de
Lensaeus, Joannes**

Genève, 1594

Bibliothèque de Genève

Shelf Mark: Bc 192

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-6760>

[Chapitres 1 et 2]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

CAPVT I.

1. Canonem hîc esse infallibilem regulam. 2. Scripturam canonicam dici, quòd eiusmodi regulam veritatis contineat. 3. Libri veteris Testamenti Canonici quomodo variè sint computati. 4. Absque rei ipsius discrimine id fieri. 5. Discrepantia interpretum Eusebij conciliatur. 6. Qui sint libri Canonici noui Testamenti, & quòd Canon sit perfectus.

I. **N**ON fert operis præsentis ratio, vt hoc in loco ex Hebræa & Græca lingua, originē vocis CANON deducam. Nec animus est, post aliorum bene locatam operam discutere quinque; illas peculiare significationes Græcæ vocis κανὼν, quas Ecclesiastici quoque scriptores, vt in historiis conciliorum videre est, agnoscunt: nec quicquam præ cæteris, hîc addam, de vi vocis Hebrææ, קַן vel קַיִן. qua verbum Dei vnica illa linea, & norma infallibilis, in scriptura significatur. Illud solum repeto, vocem κανὼνα, vnde etiam dicuntur κανονικὰ βιβλία, hoc in argumento, in omnibus linguis nihil aliud sonare, quàm infallibilem lineam fidei ac morum Christianorum.

2. Scripturam igitur libris sacris comprehensam propterea CANONICAM appellamus, quandoquidem SOLA funiculum veritatis, hoc est, verissimam illam, certissimam, & rectissimam normam salutaris nostri intellectus, vt Aquinas loquitur, continet, secundum quam de omnibus hominum scripturis iudicium rectum fe-

rimus, illam verò nullius hominis, nullius scripturæ iudicio tantulumcunque admouemus. Et hinc est cur canon Scripturæ dicatur *in arce auctoritatis salubriter collocatus*, imò verò à Synodo Antiochena *Canon salubris* vocatus. Inuenimus enim secundùm Cyprianum *ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc reuerti quicquid Ecclesiastica continet disciplina*. Quapropter hinc Canon Legem & regulam talem significat, ad quam omnes Christiani, exceptis, secundùm Eusebiũ, hæretici dogmatis autoribus, fidẽ vitamque suã accõmodãt. Et hinc quoque est cur post Chrysoptomũ scripturã *exquisitã omnium rerum trutinã, normã ac regulam* appellemus, quod disputãdo pro re nata hætenus euicimus, & per Dei gratiam etiam obtinuimus.

3. Canonici autem libri sunt vel veteris vel noui Test. vnde etiã factũ est quod veteribus Theologis, vt Eusebius docet, dicti sint Testamentarij. Et Testamenti quidẽ veteris autoritas terminatur vel 29. libris, sigillatim puta omnibus numeratis, vt eos numerat Augustinus libro 2. de doctrina Christ. cap. 8. & post eum Rabanus Maurus in institutione Clericorum, cap. 53. vel 27. si aliquot cũ aliis cõiunxerimus secundùm cõmunẽ veterum Christianorum morem, quẽ etiam aliquot patres sequuntur, inter quos numeramus Epiphaniũ heresi 8. Isidorum in lib. de officio, Ioannẽ Damasc. lib. 4. ca. 18. & Nicephorũ apud Cyrum Prodromũ. Et hanc numerandi rationẽ etiam prisca aliquot Rabbinii sibi vendicarunt: vel 22. vt placuit quibusdam Iudæis, inter quos & Iosephus est lib. 1. contra Appionem, addita ratione

ratione à numero elementorum Hebraicorum, quam legimus apud Eusebium ex Origenis sententia, lib. 6. historię Eccl. cap. 18., Hilarium in Prol. explic. Psal. Nazianzenum in carminibus, Cyrillum Hierosol. in 4. Catech. Hieronymum in Prologo galeato: & apud Epiphanium, lib. de mens. & pondere, vel denique, vt volunt nonnulli, 24. secundum numerum viginti quatuor seniorum: vnde etiam libri canonici dicuntur *de viginti quatuor senibus esse*, vt videre est præfatione in Esdram apud Hieronymum, qui ipse etiam post modernos Hebræos in prologo galeato non inuitus eam numerandi rationem cōprobat: quod Lyranus quoque facit præfatione in nouum Testamentum.

4. Et licet in diuersa ista numerandi ratione discrimen aliquod videatur esse: tamen in re apud omnes sanos tanta est conuenientia, vt sequentes solos, ac omnes agnoscant esse Testamentarios V. T. libros: Genesin puta, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, quos vulgò quinque libros Moschis, propriè verò Hieronymo teste, thora, id est Legem appellamus. Præterea librum vnum Iehoschuhæ, Iudicum item vnum, vt & Ruthæ, quem ideo cum illo quidam Hieronymo teste compingunt, quòd eius historia in diebus iudicum narretur esse facta. Schemuelis quoque primum & secundum, vt & Regum, ac Chronicorum seu Paralipomenon, qui & omissionum, & Annalium, seu vt Hieronymus in præfatione istorum eos appellat, Nominum dicuntur: vbi idem testatur, vnum tantum librum esse, qui tamen apud nos propter magnitudinem in duos diuisus sit.

Similiter Hezræ vnum, sicut & Nehemiæ, quos tamen duos, Hieronymo itidem in præfatione illorum docente in vnum coartant Hebræi. Estheræ quoque, vt & Iobi, Psalmorū, Prouerbiorum, Ecclesiastæ, Canticorum, Ieschahie, Iirmeiæ, Iechezkelis, Daniielis, Hofscheali, Ioelis, Hamosi, Hobadiæ, Ionæ, Micæ, Nachumi, Chabakkuki, Tzephaniæ, Chaggæi, Zecariæ, Maleaci. Et in his libris etiam nos hodie concludimus canonem voluminum diuinorum veteris Testamenti, vt Origenes apud Eusebium loquitur, sicut & Patres hos solos intra canonem cōcluserunt, ex quibus etiam solis fidei nostræ assertiones constare voluerunt, vt autor expositionis Symboli apud Cyprianum docet: quippe quum iis tanquam elementis veteris Testamenti sancti viri infantia ita erudiatur, vt ad Euangelicam peruenire possit plenitudinem, Hieronymo in Epistola ad Algasiam, quæstione decima, autore, quæ illius verba, claram adferunt lucem, nonnihil obscuris illis, quæ apud eundem præfatione in libros Regum ita leguntur: *Viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc, & lactans viri iusti eruditur infantia, puta nimirum vt ad Euāgelicam plenitudinem veniat.*

5. Cæterum in Origenis illa computatione, quæ apud Eusebium extat libro sexto historiæ Ecclesiasticæ, capite decimo octauo, ex variarum versionum collatione mediocris discrepantia apparet, quam strictim retulisse & conciliasse me satis erit. In versione enim Musculi Dufani, libris viginti duobus

cano-

Canonicis annumerantur libri Macbæorum, qui in Ruffini & Christophorsoni $\xi\xi\phi$ sunt. Erravit Musculus. Tollendi ergo sunt dicti Ecclesiastici libri ex numero Canonicorum. Sed sublatis illis, hæc nihilominus difficultas restat, quòd tantum vnus & viginti libri, secundum Dufani & Christophorsoni versionem, in Canone diuinarum Scripturarum conspiciantur. Et hæc causa erat, cur Musculus, Scriptura Ecclesiastica Canonem diuinum locupletarit, postquam perpenderet id quod Christophorsonum non satis perspexisse videmus, Origenem, secundum Eusebium, viginti duos libros Canonicos numerasse. Sed missis istis dicamus Ruffini interpretationem hîc meritò sequendam esse, quòd conuenienti ratione pro Canonico libro potius numerauerit duodecim Prophetas minores in vnus voluminis angustias coartatos, vt loquitur Hieronymus epistola ad Paulinum, quos dicti interpretes cum Eusebio malè omittunt. Hac etiam ratione adductus, omnino in eam descendò sententiam, etiam Origenem in primum Psalmum quemadmodum illum citat Eusebius, ita numerasse.

6. Ad Canonem verò noui Testamenti quòd attinet, is tantum viginti septem libros continet qui omnes omnino sunt Canonici, sicuti autores sunt, Augustinus libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8, Hieronymus in præfationibus, Ruffinus in expositione Symboli Apostolici, Eusebius libro 3. Hist. Eccles. cap. 3. & 23. Origenes, Damascenus, Gelasius quoque in Canonibus, etiam Innocentius ad Exuterium: Concilium quoque

Laodicenum, & tertium Carthaginense. Habet enim hic noui Testamenti, Canon, Euangelicam historiam, quatuor autoribus & libris descriptam secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Actus etiam Apostolorum, librum vnum, decem & quatuor Epistolas Pauli, nempe vnam ad Romanos, duas ad Corinthios, vnam ad Galatas, vt & Ephesios, Philipenses, Colossenses, duas ad Thessalonicenses, vt & ad Timotheum, vnam ad Titum, vt & Philemonem, ac Hebræos: præterea Iacobi Epistolam vnam, Petri verò duas: Ioannis postmodum tres: Iudæ etiam vnam: denique Apocalypsim Ioannis. Et tantum de libris Authenticis, vt eos Hieronymus in Epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi appellat, iisque hodie extra omne dubium genuinè proprièque Canonicis continentibus cœlestis Philosophiæ opes, & eruditionem tam amplam, vt nihil nobis desit, vel supersit aliquid emendicandum, vel ex ancillulis scripturæ, sapientum Ethnicorum videlicet scriptis, aut vllis ex traditionibus per quàm pulchrè id ostendente Augustino cap. 5. libr. II. contra Faustum Manichæum, hisce verbis: *De his, puta humanis, libris dici potest aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori, & ad dignoscendum difficiliori veritati quod aut sic remanserit, aut in posterioribus correctum sit, qui non percipiendi autoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur à nobis. Inter hos enim sumus quibus idem Apostolus dicit. Et si quid aliter sapitis id quoque vobis Deus reuelauit. Quod genus literarum non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendum est.*

Cui

Cui tamen ne intercluderetur locus & adimeretur posteris ad questiones difficiles tractandas atque versandas lingua ac styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris, excellentia Canonica autoritatis veteris & noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum mouerit, non licet dicere, autor huius libri, non tenuit veritatem: sed, aut codex mendosus est, aut interpret errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum scripturarum excellentiæ, coequantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longè tamen est impar autoritas. Itaque in eis, si qua fortè propterea dissonare putant à vero, quia ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ita habet lector auditorve iudicium, quo vel approbet quid placuerit, vel improbet quid offenderit: & ideo cuncta eiusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica autoritate defendant, ut demonstratur siue omnino ita esse, siue fieri potuisse quid vel disputatum ibi est, vel narratum: si cui displicuerit aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò Canonica eminentia Sacrarum literarum, etiamsi vnus Propheta, seu Apostolus, aut Euangelista aliquid in suis literis posuisse, ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit: alioquin nulla erit pagina, qua humana imperitiæ regatur infirmitas, si librorum saluberrima autoritas aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur. Cum quibus consentit illud eiusdè, quod apud ipsum

scriptum extat. Epist. 19. ad Hieronymum, hiscè verbis: *Ego solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorè inque deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem assequutum non esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinæ prapolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserant, sed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum aut Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humanitate & veraci de temetipso cogitatione.*

C A P V T I I.

1. *Malè quosdam auxisse scriptura Ecclesiastica veteris & Apocrypha noui Testamenti Canonem.*
2. *Malè etiam diminutioni eius quosdam studuisse.*
3. *Pessimè hæreticos eundem litibus variis vexasse.*

1. **E**T plurimi ex priscis patribus in agnoscendis & numerandis Canonicis libris, vtriusque Testamenti, sibiipsis modum non statuerunt, quorum errori silentium donare incrementum est adiicere, nisi ergo frænis tempestiuæ admonitionis errorem reuocauerimus, pa-

trum splendor, vt fieri assolet, multos in errorem dabit præcipites. Sic quapropter habendum errore imprimis occupatos fuisse eos qui ausi fuerunt, catalogo Authenticorum librorum veteris Testamenti annumerare omnes libros Ecclesiasticos, sicut illi integri cum omnibus partibus alienæ familiæ nothis & suspectis additamentis, in Vetere vulgata Latina editione reperiuntur, quemadmodum vnius Concilij Toletani fide factitarunt patres Tridentini, Decreto primo, Sessione quarta, idque sub pœna diri anathematis, quod rectius illis ipsis diuus Hieronymus, præfatione in Esther non obscurè dixit, cū quo Iosephus libro primo contra Appionem, Athanasius in Synopsi, Origenes apud Eusebiū lib. 6. Hist. Eccles. cap. 18. Melito quoque ibidem lib. 4. cap. 25. Ruffinus & alij præclari scriptores, Latinæ & Græcæ Ecclesiæ sentiunt, non vtique errore occupati, sed maturiore iudicio. Post illos autem eiusdē erroris rei agendi sunt ij quoque qui cum Hilario præfat. in Psal. librum, Tobiti, & Iudith, vt & libros Macbæorum, Sapientiam quoque & Ecclesiasticam, cum Concilio Carthaginensi tertio, & cum Florentino, Baruc, vero Canoni annumerandum censent. Cæterum apud Hieronymum quidem, præfat. in Iudith legimus Nicænum Concilium, librum Iudith, in numerum sacrarum computasse literarum: scimus etiam Augustinum ipsum aliquoties id fecisse, vt in lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. & 17. de ciuitate Dei, cap. 18. & 20. & ibidem lib. 18. cap. 36, vt & libro secundo contra Gaudentium, cap. 23. Veruntamen id ideo factum est,

vt libri isti quidem cum sacris legerentur, & eū in finem illis adiungerentur, non autem vt pro verè Canonicis haberentur. Secus enim Athanasius, Epiphanius, Hilarius, & alij patres cum illis eodem seculo superstites, illud illius Concilij decretum magnificissent, quos tamen legimus hosce libros pro Ecclesiasticis tantum habuisse. Nec minus mirandum errorem, circa Canonem N. T. fecerunt, qui illum auxerunt, Actū Pauli, libro pastoris, reuelatione Petri, Epistola Barnabæ, Euangelio ad Hebræos, Canonibus etiam Clementinis, cum Damasceno lib. 3. cap. 25.

2. His aucti Canonis diuinarum Scripturarum exemplis contenti attingamus ea quæ non paucos diminutioni eiusdem studuisse arguunt. Melito, Sardenfis ille Episcopus, magnus & fide dignus, veteris Canonis, testis, quique inter eos est, quos in veteribus historiis legimus iustrasse prouincias, novos adisse populos, maria transisse, vt eos quos ex libris nouerant, coram quoque viderent, sicuti loquitur Hieronymus in Epistola ad Paulinum, hic inquam Melito, reuersus in Orientem, & eo loco constitutus, vbi illa quæ in vetere narrantur Canone, sunt prædicata ac gesta, quique veteris Testamenti libros, diligenter cognitos in ordinem redegit, vt illi testimonium perhibet Eusebius Pamphili lib. 4. Histor. Eccles. cap. 26. libri Hester nullam facit mentionem, vt videre est apud Eusebium citato loco, & Nicephorum lib. 4. cap. 10. nisi forsan doctissimis assentiamur statuentibus eum Synechdochicè ac contractè libros Canonicos enumerando paruum hunc præcedentibus coniunxisse, sicut

se, sicuti nouimus Athanasium libros Samuelis, & alios nonnullos Esdram & Nehemiam, duos vtrinque pro vno numerare, quos hodie fusè Canonis libros enumerantes, sigillatim nominamus. Ipse etiam Athanasius in synopsi hinc titubare videtur. Summa est, non omnes æqua ratione, hunc vnicum veteris Testamenti Canonis librum suscepisse, & noui quoque Testamenti plures libros Canonicos, multi magni viri non peræquè approbarunt. Græci enim contra communem Latinorum consensum de Apocalypsi Ioannis dubitarunt, vt autor est Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 25, & lib. 6. cap. 18. Hieronymus quoque in epist. ad Dardanum, vbi ita inquit: *Græcorum Ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate non suscipiunt.* Latini verò nonnulli, vt loquitur Hieronymus ad Euagrium, contra Græcorum consensum, de Epistola ad Hebræos dubitarunt. Testis huius rei est Eusebius lib. 3. Histor. Eccl. cap. 3. cuius hæc sunt verba: *Pauli manifestè quatuordecim sunt epistola, quæ in autoritate habentur, licet sciam apud Latinos de epistola quæ ad Hebræos scribitur, haberi dubitationem.* Præsertim verò Hieronymus in nuper dicta epistola de tota hac re, ita ex ordine scribens: *illud nostris dicendum est, hanc Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Ecclesiis Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam, vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur: & nihil interesse cuius sit, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas Canonicas, nec Græcorum qui-*

dem Ecclesiæ, Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utraque suscipimus: nequam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de Apocryphis facere solent: quippe qui & gentilium literarum non raro utantur exemplis, sed quasi Canonice & Ecclesiasticis. Et Eusebius quidem lib. 3. Hist. Ecclesiast. ca. 3. & 4. prorsus præterit epistolam Iacobi & Iudæ. Alij verò autores sunt, de hisce ut & de 2. Petri, & 2. ac 3. Ioannis, quondam dubitatum fuisse. Sic enim de Iacobo scribit Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. *Iacobus qui appellatur frater Domini, cognomento iustus, unam tantum scripsit epistolam quæ de septem Catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem.* De Iuda verò ibidem ita scribit: *Iudas frater Iacobi, parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reiicitur, tamen autoritatem vetustate iam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.* Videatur etiam Eusebius lib. 3. cap. 3. vbi ita scribit: *Petrus Apostolus predicationis suæ monumenta per pauca reliquit. Vna enim eius epistola est, de qua nullus omnino dubitavit. Nā de secunda multis incertum est, apud plurimos tamen etiam ipsa legenda suscipitur.* Cum quo consentit Hieronymus in Epist. ad Cyprianum, dicens de secunda epistola Petri: *Eam Petro inscribi, quibus verbis ut Erasmus ibi notat, palam indicat, se non nihil dubitasse de secunda Petri Epistola.*

Et

Et Eusebius lib.3.cap.25.ita inquit: *de istis dubitatum est, reuelatio Ioannis, & Epistola Iacobi & Iuda, Petri quoque secunda, & item Ioannis 2. & 3.* Et idem Eusebius lib.2.cap.23.de Iacobo ita scribit: *Haftenus de Iacobo, cuius illa habetur epistola, qua prima scribitur inter eas, quæ Catholica appellantur. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facillè quis antiquorum meminerit eius. Sicut nec illius quidem, qua dicitur Iudæ, qua & ipsa est, una de septem. Nos tamen scimus, etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Ecclesiis recipi.* Nec tamen magnoperè curandum est, quòd quidam de istis libris dubitauerint. Quorundam enim hominum hæsitatio non potest labefactare authoritatem Sacrarum scripturarum, cum ea non confirmetur hominum testimoniis, iudiciisve, sed diuina & cœlesti comprobatione.

3. Verùm, à regula ista veritatis discedentes, dogmatis hæretici autores, compluribus libris eandem vexarunt, ad extremum verò suo hæretico iudicio, eam nefariè subiicientes, non tantùm scripturis nothis, aliisque fabulis plus æquo addicti erant, sed superbia etiam intolerabili, vetus Testamentum, vel in vniuersum reiicientes, aut maledictis vexabant, aut prauitatibus suis in alieno sensu acceptum accommodabant, vel seorsim legem, seorsim itidem Prophetas, prout cuique visum fuit, repudiabant. Nec melior fuit noui Testamèti conditio. Nonnulli enim hoc instrumentum, vel totum, vel partes illius nobilissimas suæ doctrinæ aduersantes, suisque déque habentes reiecerunt. Imò

plurimi in hunc vsque diem suis speculationibus, enthusiasmis, & traditionibus verè humanis, fæco tamen probabili exornatis plus æquo indulgentes, normam illam fidei & morum perfectissimam ac dilucidam, imperfectionis & obscuritatis accusarunt: ideòque iis præteritis suas prauitates magis secuti sunt, easque suis hæredibus reliquerunt, quæ omnibus hæreticis semper ita placuerunt, vt pari studio traditiones, hoc est, me interprete, sordes suas, sub titulo & specie Ecclesiastici iuris, scripturæ addiderint, scripturæ autem ipsius damnationem expetuerint, autorésque huius beneuolentia, propulatores verò odio sint prosequuti. testis huius rei est Augustinus, Epiphanius, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Philastrius, ex quorum scriptis hæc historia peruulgatè notissima est.

CAPVT III.

1. *Non tam priscos patres qui vel diminutioni, vel auctiori canonis diuini studuerunt, quam Tridentinos accusandos esse.*
2. *His opponi posse vetustissimam distinctionem librorum Ecclesie, secundum quam distinguuntur in Canonicos, Ecclesiasticos, & Apocryphos, & quid illi sint.*
3. *Quibus notis Apocryphi à Canonicis discernantur & qui sint illi.*
4. *Qui sint Ecclesiastici, & quod sit discrimen inter pastorem & pastorem.*
5. *Ambiguitas vocis Canonici & Apocryphi explicatur.*
6. *Augustinam quoque Tridentinis esse contrarium.*
7. *Et Eusebium cuius locus defenditur.*